



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Disputationes De Deo Homine, Sive De Incarnatione Filii  
Dei**

**Hurtado de Mendoza, Pedro**

**Antverpiae, 1634**

Sectio IV. Actuum moralium perfectio, & imperfectio.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-82720](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-82720)

egit S. August. tom. 6. lib. de Bono coniugali, vbi etiam probauit calibatam. De rebus autem non præceptis esse consilium, constat ex 1. ad Cor. 7. 27. *De virginibus præceptum Domini non habeo; consilium autem do.* Vbi Apostolus negat de virginitate præceptum; consilium autem affirmat; explicat autem apertè doctrinam §. 14. laudat enim eum qui ducit vxorem; magis tamen eum qui virgo perseuerat: qui enim vxorem ducit, bene facit; melius autem qui non nubit: Christus autem Matthæi 19. dixit necessariam esse obseruationem præceptorum ad ingressum in vitam; perfectionem autem docuit non esse ad id necessariam: ait enim num. 21. *Si vis perfectus esse, vade, vende omnia, quæ habes, & da pauperibus.* Hæc autem non præcipiuntur à Christo, nec sunt necessaria ad salutem; eam tamen consuluit: ergo de rebus non præceptis est consilium.

§. 16. Hoc discrimen explicuit rectè S. August. tom. 10. ferm. 61. de Tempore ad medium: *Aliud (inquit) est consilium, aliud præceptum: consilium datur, vt virginitas conseruetur, vt à vino abstineatur, vt vendantur omnia, & pauperibus erogentur. Præceptum verò datur, vt iustitia custodiatur, vt omnis homo diuertat à malo, & faciat bonum. Denique de virginitate dicitur, Qui potest capere, capiat. De iustitia verò non dicitur, Qui potest facere, faciat, sed, Omnis arbor, quæ non facit fructum bonum, excidetur, & in ignem mittetur. Consilium qui libenter audierit, & fecerit, maiorem habebit gloriam: præceptum qui non impleuerit, nisi penitentia subuenerit, euadere pœnam non poterit. Quibus eleganter Augustinus ostendit, in consilijs non sequendis nullum esse reatum ad pœnam; in eis autem exequendis gloriam esse maiorem: at nullam esse præcepti etiam leuis violationem immunem à pœna, & ad eam fugiendam opus esse penitentia. Quod est etiam certum de peccato veniali.*

§. 17. S. Hieronymus tom. 2. lib. 1. aduersus Iovinian. bene post initium ait: *Quod præcipitur, imperatur; quod imperatur, necesse est fieri; quod necesse est fieri, nisi fiat, pœnam habet.* Quibus ostendit rectè præcepti naturam, quod sine reatu ad pœnam omitti non potest. Inferius autem ait: *Noli igitur admirari, si inter vitillationem carnis, & incentiuu vitiorum, angelorum vitam non exigimur, sed docemur: quia vbi consilium datur, offerentis arbitrium est; vbi præceptum, necessitas est seruientis.* Quæ verba sunt subobscura: dixit consilium esse in offerentis arbitrio; præceptum verò in necessitate seruientis. quis est ille offerens? an Deus qui consilium dat? an autem creatura exequens consilium? Existimo offerentem esse Deum, qui obtulit, id est, reliquit in creaturarum arbitrio. quod præcipitur, non offertur: offertur autem quod possumus admittere, & recusare: ob quod dixit præcepta esse necessitatem seruientis. ita dixit ibidem ex persona Apostoli: *Et vis vt ego iubeam, quod Deus obtulit potius quam præcepit?* Cum autem dixit, nos doceri vitam angelorum, non exigi; non ideo dixit, quòd sola doctrina melioris rei proponatur; sed etiam vult maiorem esse Dei voluntatem, vt meliora faciamus: etenim Deus magis amat virgines, quam coniugatos: Et ideo (inquit Hieron. ibidem) plus amat virgines Christus: quia sponte tribuunt, quod sibi non fuerat imperatum; maioriq; gratia est offerre quod

Pet. Hurtado de Mendoza de Incarn. pars 1.

non debeat, quam reddere quod exigaris. Consensitque S. Thom. alibi Hieronymus post adducendus.

§. 18. De eadem doctrina constat apertè ex B. Anselmo 2. cur Deus homo cap. 19. *Sed nemo (inquit) negabit illum melius fecisse, quando illud ad exemplum taliter dedit: & magis hoc placet Deo, quam si non hoc fecisset, aut diceret eum non debuisse facere, quod melius esse, & quod magis placere Deo cognouit.* Hæc verba sunt Bosonis discipuli S. Anselmi: quæ tamen ab eodem confirmantur Anselmo, ostendente in quo sensu Christus debuit, & non debuit, facere quod melius est, quodque Deo placet magis: admissa enim tota doctrina Bosonis, ei difficultatem explanat. est ergo consilium de re meliori, & Deo magis placente.

§. 19. Hoc genus perfectionis sequendi consilia, vocatur à Theologis opus supererogationis: quod etiam obseruat Lira in Matthæum 19. 21. vbi recognoscendus est P. Maldonatus, & alij.

#### SECTIO IV.

##### Actuum moralium perfectio, & imperfectio.

§. 20. **P**erfectio actuum moralium considerari potest comparatione diuersorum, v. gr. comparando misericordiam religioni, & hanc charitati: quo genere sola charitas est perfecta; cætera verò imperfecta: quia obiectum formale charitatis solius est perfectum; cæterarum verò imperfectum: & quamuis idem est obiectum spei, non tamen secundum se, siue vt est in se bonum; sed quia est bonum nobis, siue relatè ad nos. Comparatione obiectorum sunt actus imperfecti, quando obiecta non amantur tam bene, quam petunt; quia amantur propter minorem bonitatem, quam possunt. Exempli gr. leuamen inopis amatur propter propriam bonitatem, seu honestatem repertam in leuando inope: qui amor est misericordia stricta, estque imperfectus: quia leuamen illud petit secundum rectam rationem amari propter meliorem bonitatem. Item leuamen idem potest amari propter bonitatem Dei amatam, quæ impellit amantem ad amandas eas creaturas, quas cognoscit esse, aut Deo gratas, aut gratiores. Hic amor est perfectus: quia amat obiectum creatum sub optima ratione formali obiectiua, quam petit.

§. 21. Hunc secundum actum esse perfectum, liquidò constat: perfectum enim est, cui nihil deest: sed illi obiecto nihil deest ex parte rationis formalis obiectiua, quod illo actu non attingatur: ergo illo obiectum amatur perfectè. Actum autem misericordie strictè esse imperfectum probo: quia illi obiecto aliquid deest ex parte rationis formalis obiectiua, quod non attingitur illo actu: ergo actus ille non attingit perfectè obiectum illud: quia non attingit optimam rationem formalem obiectiuam, quam ad amorem sui desiderat creatura.

§. 22. Confirmatur. Creatura non amatur, vt petit, nisi ametur sub Deo tamquam ratione formali obiectiua: ergo actus eam rationem non attingens

S. Thom.  
q. 11. a. 1.

tingens non est qualis petitur à creatura, nec illo amat, ut petit, & consequenter nec perfectè. Probo antecedens: creatura ex natura sua est propter Deum, ut propter finem vltimum: quod est creaturæ non accidentarium, sed insitum. Deus autem per suam essentiam est finis creaturarum quas producit: sed quod est ex natura sua ad finem, non amatur, ut petit, nisi relatè ad finem: ergo creatura non amatur, ut petit, nisi propter Deum ut finem: amari enim medium relatè ad finem perinde est ac amari propter finem.

§. 23. Objicis: Creatura & est amabilis propter se, item & propter Deum: ergo quamuis eius amor propter Deum sit perfectior, nihilo tamen minùs amor propter ipsam erit perfectus: ergo misericordia stricta non est imperfecta. Probo antecedens: creatura est cognoscibilis & in se, & in Deo ut in causa; & tamen cognitio in se est perfectè, quia potest esse eius comprehensio: comprehensio autem est cognitio rei quantum est cognoscibilis; & tamen cognitio eiusdem creaturæ in Deo est perfectior: ergo eadem ratione amor creaturæ propter ipsam erit perfectus, licet amor ipsius creaturæ propter Deum sit perfectior.

§. 24. Respondeo Primò, creaturas ordinis naturalis non petere ex natura sua cognosci ab alijs creaturis in Deo: quia ea cognitio est ordinis altioris, quàm ipsa petit: amari autem potest actu naturali propter Deum; ob quod creatura ordinis naturalis non amatur viribus naturæ perfectè, nisi propter Deum: quia illa ratio amoris est physicè possibilis creaturæ intellectuali ex se: at cognoscit perfectè, quin in Deo: quia cognitio intuitiua Dei nõ est viribus solius naturæ possibilis. Hinc nec talis cognitio à creatura naturali petitur; petitur autem amor Dei possibilis naturaliter: quia actibus naturalibus voluntatis respondent supernaturales: ideo non amatur obiectum naturale perfectè actu supernaturali, nisi ametur propter Deum: quia licet actus sit supernaturalis, & ea parte nobilior obiecto; tamen non attingit optimam rationem obiectiuam: sicut fides non est comprehensio creaturarum, quamuis est supernaturalis, quia eas non attingit, aut in Deo immediatè viso, aut in ipsis.

§. 25. Hinc oritur etiam aliud obseruatu dignũ, creaturam naturalem non amari perfectè actu supernaturali, nisi sit charitatis: quia licet misericordia supernaturalis sit melior charitate naturali; tamen obiectũ est amabile propter Deum: ob quod ex parte obiecti formalis non amatur absolurè, ut petit: quamuis modus misericordiæ supernaturalis sit supra id, quod petit obiectum.

§. 26. De creaturis ordinis supernaturalis non est hæc ratio. Nec esset ingens absurdum, si diceremus eas non cognosci perfectè, nisi scientia beata: esto comprehendantur per insulam: comprehensio autem cognoscit obiectum, quantum cognoscibile est ex parte sui. inter comprehensiones autem est magnum discrimen: nonnullæ enim cognoscunt, quæ sunt immediatè in ipsis; aliæ verò non in ipsis, sed in suis causis. Quod genus comprehensionis est nobilius.

§. 27. Secundò respondeo, cognitionem & amorem esse hæc in parte dissimiles: cognitio petitur à quocumque actu bono indifferenti, aut

malo. quod pater in angelo, lapide, ac peccato, quæ petunt cognosci à Deo, & creaturis: at non omnia petunt amari. Ratio est, quia cognitio etiam malorum in Deo spectat ad perfectionem; amor verò nequaquam. Ex parte item obiectorum est ratio, quia eiaculantur speciem sui, aut pro illis illam præstat Deus: species autem imperfecta est natura sua principium cognitionis. tunc igitur cognoscitur obiectum perfectè, quando speciei perfectissimæ, quam potest præstare, respondet cognitio, quæ est comprehensio talis obiecti. igitur omne obiectum, siue bonum, siue malum, petit cognosci: amor autem liber ut sit bonus, debet oriri à recto discrimine rationis, siue ex meritis ipsius obiecti. Cognitio obiecti non est argumentum honestatis moralis ipsius, à quocumque cognoscatur: amor autem est argumentum honestatis obiectiuæ; quod si amor sit ex recta ratione, est argumentum bonitatis obiectiuæ moralis. Igitur amor creaturæ propter ipsam est argumentum bonitatis in ipsa, in qua sicutur tamquam in fine: at recta ratio dicat melius esse non sicutur in creaturis amore, sed in Deo, illumque constituerè vltimum finem in actu, sicut est in rebus ipsis.

§. 28. Dixi vol. 2. disp. 121. Deum non posse exercere actum liberum, adæquatè versantem circa creaturas, sed necessariò omni actu libero amare creaturam propter ipsam: quamuis admisi in eodem actu posse esse duas denominationes, ratione distinctas, constituentes vnum actum liberum, quarum altera ametur creatura propter ipsam; altera verò propter Deum: quia si Deus amaret creaturam propter ipsam, Deus illam non amaret ex dictamine sapientiæ suæ, nec constitueret obiectum formale illi actui, quale petitur à creatura: duæ autem formalitates illud constituunt: altera enim est præcisua de tali obiecto, non tamen negatiua. Nec satis respondi dixi à recurrentibus ad identitatem realem actus liberi Dei cum actu necessario ipsius Dei, quod se & omnia amat propter se: sicut non effugeretur difficultas, si constitueremus in Deo aliquem actum præcisuum rationis communis à singularibus, licet esset identificatus cum comprehensione Dei de rebus omnibus. In mea autem sententia de duabus denominationibus facillè effugitur: altera enim est inseparabilis ab alia non solum in entitate, sed etiam in denominatione: ob quod constituunt vnum actum liberum: at verò actus liber non est separabilis in entitate, est tamen in denominatione: quæ denominatio ut sic separabilis, si versaretur adæquatè circa creaturas, illas attingeret imperfectè, essetque argumentum imperfectionis in Deo. Nec hæc imperfectio tolleretur per imperium influxum, quo imperaretur alius actus liber circa creaturas adæquatè: quia licet imperium esset perfectum, quia amaret Deum propter ipsum; tamen actus imperatus esset imperfectus: quia ut adæquatè distinctus ab alio, esset imperfectus. Cui non solum repugnat imperfectio subiectiua, sed imperfectio in ipsis actibus. de quo vberius ea disp. differui.

§. 29. Item ostendi huiusmodi actus imperfectos non repugnare Christo, ut homini; quamuis illi repugnet esse imperfectum. Probatur: quia ea-  
pacitas

pacitas Christi ad hos actus non solum remota, sed etiam proxima, non repugnat cum unione hypostatica, & visione Dei. aliunde sunt grati ipsi Deo. At propterea Christus non est imperfectus: actus est imperfectus, quando amat creaturam non propter Deum, quæ carentia illi non potest auferri; quia illi repugnat amare obiectum, quod semel non amat. Imperfectio autem subiecti est carentia amoris creaturæ propter Deum. Quia verò Christus exercens misericordiam strictè, simul exercet amorem Dei circa idem obiectum; ideo non habet carentiam amoris creaturæ ob Deum; ac propterea non est imperfectus, sed perfectus.

§. 30. Obijcis: Ab actu perfecto Christi est perfectus: ergo imperfectus ab imperfecto. Probo consequentiam: quia actus imperfectus communicat suum effectum formalem subiecto, non minus quam perfectus. Nego consequentiam. Probationi respondeo, totam imperfectionem actus communicari subiecto, quod per talem actum amat imperfectè, sicut perfectè per perfectum: absoluta autem imperfectio subiecti non inde sumitur, sed ex actu imperfecto simul cum carentia perfecti: quia verò actus imperfectus coniungitur cum perfecto, subiectum est perfectum: itaq; perfectio animæ est in solo actu perfecto; à quo est perfecta, ut paries albus ab albedine: ob quod actus perfectus animæ vnitus illam reddit perfectam; imperfectio autem animi in amanda creatura constatur ex amore illius propter ipsam, & in carentia amoris eiusdem propter Deum: ob quod actus ille imperfectus vnitus animæ eam non reddit absolute imperfectam: quia non est in animo carentia amoris eiusdem creaturæ propter Deum, quæ carentia necessaria est in animo, ut sit imperfectus in amanda creatura. dixi, *In amanda creatura*: quia animus amans Deum est perfectus perfectione relata ad obiectum, quamuis non amet creaturam; quia sine huius amore est coniunctus Deo: at si creatura amanda est perfectè, amanda est propter Deum: potest autem animus esse perfectus, & creaturam imperfectè amare.

§. 31. Perfectio autem, de qua adhuc egi, est in actibus comparatione obiectorum, aliarumque rerum pertinentium ad obiectum, intensiorem, & alias circumstantias. Nunc supersunt explicanda alia duo capita. Primum est comparatione beneplaciti Dei, siue desiderij. Peccatum mortale est contra voluntatem grauius præceptiuam; veniale contra leuiter; imperfectio contra maiorem Dei propensionem: nam perfectio ad salutem necessaria est conformatio cum prima voluntate; perfectio autem ne retardetur, assecutio vitæ æternæ est conformitas cum secunda: maxime autem est conformitas cum tertia, quæ est absolute, & ore pleno perfectio. S. Thomas 2. ad Timoth. 3. sine, *Tunc*, inquit, *homo est perfectus quando est paratus ad omne opus bonum, non solum ad ea quæ sunt de necessitate salutis, sed etiam ad ea quæ supererogationis*. Hæc autem dixi §. 11. esse opera consilij. Tullius (quem hac in parte probat Augustin.) dixit perfectam amicitiam esse diuinarum humanarumque rerum consensionem. S. Hieron. ad Demetriadem dixit, idem semper velle & nolle, esse perfectam amicitiam.

§. 32. Tandem actus sunt perfecti non solum per intrinsecam bonitatem, & conformationem cum voluntate diuina; sed etiam per extrinsecam denominationem à dignitate suppositi: ob quod omnia opera supernaturalia Christi infinite placent Deo, & sunt ex se digna præmijs infinitis. Vnum autem solum meretur tantum, quantum omnia. item vnum æquè placet Deo, ac cætera omnia; non quidem ratione obiecti aut circumstantiarum, sed ratione suppositi, à quo dignificantur infinite. Hæc autem aliunde pono, quæ ratione contingant.

SECTIO V.

*Christus non potest esse imperfectus moraliter.*

§. 33. **D**ico Primò: Christus fuit perfectus, nec leuissimè discessit à voluntate Dei consiliatrice. Probatum apertè, Ioan. 8. v. 29. *Quæ placita sunt ei, facio semper*: ergo semper secutus est Deum consiliantem. Matth. 19. v. 21. suadens Christus adolescenti perfectionem supererogationis, se proposuit exemplar: *Si vis perfectus esse, vade, vende quæ habes; & sequere me*: ergo Christus fuit perfectus: adolescens enim, quem constabat seruato rem esse legis, futurus erat perfectus imitatione Christi. Dixit enim Hieron. *Sequitur Dominum, quò imitator est eius, & per eius exempla graditur*. Item Lira, *In sequela Christi per opera charitatis consistit perfectio*.

§. 34. Dico Secundò: Implicat terminos imperfectio moralis in Christo, si proponantur Christo duo obiecta, & Deus illi insinuet maiorem propensionem in alterum, Christus id animaduertens tam determinatus est ad illud, quam si esset præceptum. Hanc conclusionem dixi ab hinc 13. annis, cum vix vnus aut alter Doctor Scholasticus eam saluasset à limine, nec à longè questionem. P. Suarez tom. 1. in 3. p. disp. 37. lect. 6. §. *Quomodo aut*, ait, *ed vel maxime, quòd non solum repugnat Christo peccatum, verum etiam ille imperfectionis modus, qui est dissentire à diuina voluntate sibi proposita, ut regula suæ operationis. Quam deinde perspicuè docuit P. Phil. Monzeus vir elegans & acutus disp. 9. c. 7. vers. Sed vt nunc, & P. Ragusa disp. 128.*

§. 35. Probatum ex Ioan. 6. 38. *Descendi de celo, non vt faciam voluntatem meam, sed voluntatem eius, qui misit me*. Vbi Lyta: *Non est, inquit, per hoc intelligendum, quòd voluntas Christi in aliquo discordet à voluntate Patris; quia secundum naturam diuinam eadem voluntas est Patris, & Filij. Similiter secundum naturam humanam voluntas eius non poterat à voluntate diuina discordare; cum anima Christi esset coniuncta Verbo non solum per fruitionem, sed etiam per unionem realem. Et sic voluntas Christi nullo modo poterat à voluntate Patris discrepare. Expendatur vox nullo modo: quæ significat Filium nullo modo posse deflectere à voluntate paterna: ergo nec in consilij poterat: quia consilium voluntas est Patris, quo præfert vnum alteri, vt patet ex Gloss. ad Rom. 12. 2. lege Tolera ibi, *Sed qua sit voluntas Dei*. At ex sententia Lyre*